DE FATO PISANÆ UNIVERSITATIS

Decurrente Seculo Decimoquinto;

Deque Viris Eruditione præſtantioribus, qui in Eâ Profitendo, Studendo, &c. floruerunt.

Quarta Academica Elucubratio

STEPHANI MARIÆ
FABBRUCCI FLORENTINI
PISANI CIVIS
ET ANTECESSORIS

In Obſequium

Reg. Celſit. Sereniſs.

FRANCISCI III.

DUC. LOTHARING. &c. &c.

Magni Ducis Etruriæ.

An. 1742.

PRomiſſi memor ſenſim meam Fidem libero, Benevolentiſſime Lector, ea curſim utique, at fideliter adnotando, quæ, *circa Piſanum Athenæum, ab Anno milleſimo quadringenteſimo uſque ad milleſimum quadringenteſimum Septuageſimum tertium*, adnotanda potiſſimum occurrunt.

Et initio quidem hujus Seculi aliquanto melior, ſaltem Juriſprudentiæ noſtræ, lux viſa eſt affulgere. Empta etenim, ex iniqua conventione cum *Gerardo de Appiano inita*, *a Joanne Galeatio I.* Mediolanenſium Duce, Piſana Ditione, (*a*) ibique *Reverendiſſimo in Chriſto Patre Joanne Epiſcopo Feltrienſi Locumtenente Ducali conſtituto*, non multò poſt, in Publicis Piſa-

(*a*) Annal. Mediol. Tom. XVI. Script. Ital. ap. Clar. Murat. ⥫ Leonard. Arret. Lib. XI. ⥫ Jacob. Pogg. Lib. 3. ⥫ Scip. Ammirat. Lib. XVI. ad Ann. 1399. ⥫ Bernard. Cor. Hiſtor. Mediol. P. 4. ⥫ Tronc. in Ann.

ſani Tabularii Monumentis, occurrit hujuſcemodi Proviſio (*a*) *Die* 15. *Septembris Anno* 1400. *Indictione VII. Providerunt Reverendiſſimus locumtenens Ducalis, & Anthiani Piſani Populi* &c. *Dom. Guaſpari Nelli* I. *Bruni de Caſtello Legum Doctoris ejus Salarium, & Mercedem pro labore, & Lectura Codicis, quem legit, in Scholis Publicis, & ordinatis, quibuſcumque audire volentibus ei debitum a Communi Piſano pro uno Anno finiendo in Calendis Octobris proxime venturis ad Rationem in Ordinamentis Novis Piſani Communis comprehenſam, & ordinatam, videlicet ad Rationem Librarum Centum Septuaginta quinque in qualibet Moneta pro dicto tempore ſecundum formam Novorum Ordinamentorum Subſcriptorum &c.*

De Civitate *Caſtelli*, non aliis hujus nominis Locis ex noſtra Topographia, notis, *Gaſparem* hunc fuiſſe oriundum, patet ex Charta quadam Pergamena *Rog. Ser. Gerardo de Calcinaria*, de qua inferius. Atque idem hic ille *Gaſpar* eſt, quem, tredecim circiter antea Annis, una cum *Bartholomæo Joan. Nelli*, Piſani Proceres Piſa-

(*a*) Lib. 49. Pag. 74.

ſana Civitate donaverant, (*a*) quam nec illis mos erat, nec æquum eſt indiſcriminatim, & ſine aliquo Doctrinæ, aut alicujus publici meriti intuitu gratis concedere. Et ſane ex iiſdem publicis Monumentis apparet (*b*) *Gaſparem* ipſum Curiæ Gabellæ Majoris Officialem jam pridem aſſediſſe; & aliquando etiam Curiæ Pupillorum Piſanæ Civitatis præſuiſſe, tanquam Judicem, ex ſequenti Deliberatione innoteſcit, *Sub Die tertia Octobris ejuſdem Anni* obtenta; *Indictione* tamen *octava*, quæ Piſis a Die 25. Septembris, ea tempeſtate, mutari conſueverat (*c*). *Dom. Graſpari Nelli Bruni Legum Doctori olim Judici Curiæ Pupillorum Piſanæ Civitatis ejus ſalarium, & mercedem dicti Officii ſui ei debitum a Communi Piſano pro ſex Menſibus inchoatis in Kal. Januarii proximè præteriti quibus ſervivit in dicto Officio, ut patet per Apodixam*

A *Ser.*

(*a*) Volum. 63. Arch. Pub. Pag. 32.

(*b*) Lib. 55. Pag. 39. ibid.

(*c*) Guid. Grand. in Append. veter. Monum. ad Sec. Edit. Epiſt. de Pandect. Num. XII. in Not. Pag. 167.

Ser. Antonii S. Coli de Sojana Notarii, & olim Scribe publici Curiæ Aſſeſſoris Piſan. Civit. ſcriptam hoc Anno Indict. VII. Die I. Julii more hactenus conſueto, ad Rationem Libr. triginta quinque pro ſingulo Judice ſingulis ſex menſibus (*a*). Dignus propterea habitus eſt hic *Noſter*, ut ſub novo hoc Regimine; mutato tamen interim ob mortem prædicti Ducis Locum tenente, & ad id muneris evecto *Guidone Comite Mutilianæ* ſub Anno 1403. (*b*) Immunitate quadam ab omnibus Oneribus Perſonalibus, & Realibus decoraretur; (*c*) cumque minuendarum expenſarum cauſa nova Officialium Reformatio, atque iccirco Publicorum etiam Præceptorum dimiſſio, facienda eſſet, ſimilis profecto alteri, quæ triſti fato executioni mandata fuit Anno 1359., ut

(*a*) d. Lib. 49. Pag. 76.

(*b*) Script. Ret. Mediolan. ap. Palat. Soc. d.° Tom. XVI. = Dionyſ. Petav. Ration. Tempor. P. I. Lib. IX. Cap. VIII. = Ugolin. de Mont. Cat. de Bal.

(*c*) d. Vol. 63. d. An. 1403. Pag. 32., & 37.

ut alibi adnotavimus (*a*) illud honorificum *Franciſco de Buti*, *Thomæ Ambaci*, & *Gaſpari Noſtro* contigit, ut in Publico docendi Munere, pro Reconductis haberentur, licet *Gaſpar Noſter* cum aliqua Publici Stipendii imminutione.

Extant in Archivo Capitulari, aut ſaltem perquirentium oculis patent, duo tantùm de Decem & ampliùs vetuſtiſſimis Urbanarum Rerum Libris, quos ibi aſſervari, grata quidem, ſed inutili traditione acceperam; VII. nempe ac X., in quorum primo, Caput 448. quod revera nihil aliud eſt, quam Tranſumptum quoddam Ducalium Coſtitutionum *In Sala* (ut ibi legitur) *Palatii Piſani Populi* promulgatarum, *De Diminutione Expenſarum* inſcriptum eſt; Et ſub §. 3. hujuſcemodi, ad rem noſtram, continet Innovationem *Salarium*, *quod conſueverat habere Dom. Guaſpar de Caſtello ſit pro Lectura ſua cum leget Librarum ſeptuaginta quinque de uſualibus, & currentis monetæ*. (*b*)

In ſecundo autem ex antedictis,

 de-

(*a*) In Anteced. Diſſert. de Nonnull. &c. pag. XI. & ſeq.

(*b*) Membran. 219. a terg.

decantatis adeò Codicibus, in Charta Pergamena pariter exarato, *Sub Die ultima Decembris An.* 1405. *Indict. XIII.*, exemplum legitur alterius publicæ Deliberationis in his terminis *Providerunt infraſcripti Piſani Cives ab Illuſtri Domino Noſtro electi ſuper Taxatione Expenſarum omnium Officialium Piſanæ Civitatis, & providendo ordinaverunt &c. Mag. Franciſcus de Buiti Doctor Grammaticæ Piſanæ Civitatis ſtet firmus, prout nunc eſt Mag. Abbaci Piſanæ Civitatis ſtet firmus prout nunc eſt.*

In tanta igitur rerum perturbatione, ac tam ancipiti rerum Statu., ſibi de ſorte ſua deſpondere viſus eſt, Excellens in Medica Facultate Vir, *Ugolinus de Monte Catino*; ex eo ſcilicet, e duobus hujuſce nominis in Etruria noſtra Locis oriundus, qui in Territorio Vallis Nebulæ ſitus eſt & Agro Piſtorienſi finitimus (*a*).

E Peruſino Studio, in quo Lectionibus utilem Operam impenderat, & ope præſtantis Phyſici *Matthæi de Aſſiſio*, ſibi non vulgarem ſalubrium Aquarum peritiam comparare cœperat,

(*a*) Andr. Bacc. de Therm. Lib. V. Pag. 159.

rat, (*a*) adultam poſtea ſcientiam in Piſanam hanc Urbem tranſtulit, ubi, cum *Jo*: *Gittalebrutia*, hoc eſt *Gittalebraccia*, quem alibi commemoravimus, Collegio Medicorum adſcriptus, (*b*) per annos circiter viginti quinque, ægrotantium Civium curationi præfuit; præſertim verò, Principis in Republica Viri, *Petri de Gambacurtis*, quoadusque vixit: obiit autem ex nefaria ingratiſſimorum *Appianorum* conjuratione peremptus, die 21. Octobris An. 1393. *More Piſano*; (*c*) non 15., ut alii memoriæ prodidere.

Superſtiti *Joanni de Gambacurtis*: imò iiſdem *Appianis*, & potiſſimùm *Jacobo* carus, (*d*) per inſequentes aliquot annos, non renuit eorum ſaluti, ac ſimul publico deſervire: ſuſceptâ interim Piſis ex amantiſſima Conjuge,

(*a*) Id. Ugol. de Baln. Puteol. in Ampl. collect. Script. de Baln. ap. Junctas. ann. 1553.

(*b*) Ibid. Pag. 49.

(*c*) Paul. Tronc. Annal. Piſan. ſub. Ann. 1392. Pag. 475. = Matth. de Griffon. in Memorial. Hiſt. int. Script. Italic. Tom. XVIII. &c.

(*d*) D. Ugol. Pag. 49. = 51. = 52. = ibid.

poſt deploratam viginti annorum ſterilitatem, maſcula prole, quam acceptam referre non dubitat beneficio præſertim Frigidi illius Balnei, vulgo nunc *della Regina* e diverſis, quæ prope Montem *S. Juliani*, in vicinia Piſanæ Urbis, humano commodo reſerata fuerant, (*a*) & nunc in ampliorem formam, *Regiâ curâ*, Promotore ut ceterarum utilium rerum efficaciſſimo, Comite de Richecourt, inſtaurantur.

Dominatu autem hujus afflictiſſimæ Reipublicæ ad Mediolanenſes tranſlato; ac non multò poſt, ſibi ſuſpecti *Comitis Guidonis e Mutiliana*, gubernio commiſſo, veritus repulſam, aut aliam jacturam pati, ſe ſe spontè omni munere abdicavit, & ad proximam Lucenſem Civitatem divertit *Hugolinus noſter* diſcedendi occaſionem publice cauſatus his verbis *Teſtimonium afferre poſſum* (ſic loquitur ubi de Virtutibus Balneorum Villæ Corſenæ Lucani Comitatus diſſerit Pag. 49.) *Teſtimonium afferre poſſum eorum, quæ vidi, dum eſſem Civium Lucenſium Medicus: renueram enim amplius Piſis commorari, ex quo Bernardus de Apia-*

(*a*) Ibid. de Baln. Pis. Pag. 48.

Apiano (legendum tamen, ex hiſtorica fide, *Gerardus*; a qua magis aberrat *Carolus Stephanus* (*a*), qui *Robertum* ſcribit), *ex quo Gerardus de Apiano Urbem illam vendidit Jo: Galeatio Duci Mediolani*; & paulò inferius, nempe Pag. 51., ubi de Balneis Romandiolæ ſermonem habet, dictis *S. Maria a Bagno* & adjacentium Oppidorum, quæ premium deditionis Piſarum, *præd. Jo: Gambacurtæ* data ſunt; ac fuerunt olim *Comitis Guidonis*, *Petri*, *ac Ricciardi Nepotum ejus*, ad rem noſtram ſubdit: *Verùm Comes Guido neutiquam mihi fuit amicus: nam cum Piſana Civitas ad Ditionem Mediolanenſis Ducis perveniſſet, & ego ad curam unius Civis a Florencia ad illum evocatus eſſem; vocabatur autem Civis ille Petrus de Vagia, me admodum ſuſpectum habuit, quod a Piſanis, & Florentinis æque diligebar, qui illum, & Dominium odio habebant &c.*

Poſt hæc, ut ipſemet pariter proprio calamo teſtatur, cum *Magnifico Domino Malateſta de Malateſtis Piſaurienſi*, ſtipendio quingentorum Au-

 reo-

(*a*) In Dict. Hiſtor. Verb. *Johannes Galeac.*

reorum, pro quolibet Anno, moram traxit. (*a*)

Neque deſtiterat; neque poſtmodùm deſtitit aliorum inſignium nobilitate, opibus, aut virtute Virorum, ubi oporteret, medelæ adeſſe; aut Conſultationibus aliundè tranſmiſſis proſpicere: quos inter enumerare licet *Jo: Galeatium de Manfredis Faventiæ Dominum*; *Nicolaum Domini Verii de Medicis Florentinum*; *Barnabam de Aglis*, *Magnum Mercatorem pariter Florentinum*; *Colutium Stignanum*, *hoc eſt Colutium Salutatum de Stignano*, *Poetam laureatum*, *& Florentinæ Reipublicæ Cancellarium*, (*b*) cujus eruditas Epiſtolas, recenter novis luminibus decoratas, certatim in vulgus emiſere, & emittere ſatagunt *Abb. Laurentius Meheus* Florentinus Philologus; & ſubſidiario calamo *Joſ. Rigaccius* noſtras Bibliopola.

Ut inſtantium Diſcipulorum precibus indulgeret, Opus conſcripſit *De Balneorum Italiæ proprietatibus*, *& virtutibus*, (*c*) quod *minus barbarum*, ac

(*a*) In dict. Tract. Pag. 50. terg.
(*b*) Ibid. Pag. 50., & 52.
(*c*) De hoc Tractatu memin. Iſrael Spach.

ac rude, denuo lucem aſpexit, operâ, ac ſtudio *P. Candidi; Petri*, niſi fallor, illius *Candidi Decembrii*, qui proprio marte, *de Genitura hominis*, Libellum adornavit. (*a*)

In ſerie plurium Capitum, totidem *Balneis*, de quibus agit, reſpondentium, paſſim tanquam amicos, & in Medicina facienda confortes, laudat *Mag. Michaelem, Piſtorienſem; Mag. Matthæum de Piſis; Mag. Chriſtophorum Georgii Florentinum; Mag. Maſium Laudenſem; Mag. Leonardum de Bibiena &c.*

Cum nonnullis etiam Litterrarias Concertationes ſe habuiſſe refert, veluti cum *M. Nicolao de Mantua*, cum *M. Joanne Baldo Florentino*, cum *M. Franciſco de Senis*: circa quem poſtremum obiter alibi, & perfunctoriè commemoratum, (*b*) hæc tria

A 5 im-

Spach. in Elenc. Medic. ⇌ Georg. Abr. Merckl. in Linden. Renov. ⇌ Andr. Bacc. de Therm. ⇌ Joſ. Simler. & Joh. Jacob. Friſ. in Bibliothec.

(*a*) D. Spach. Pag. *66*. & Linden. Renov. Lib. I. Pag. 882.

(*b*) In Anteced. Opuſc. in fin., ex Volum. 51. Arch. DD. Prior. P. 33.

impræſentiarum juvat addere; nempe, præter Stipendia *Piſis* merita, & ipſum *Malateſtæ Piſaurienſi* inſerviſse; Senenſi Lecturæ vacaſse; Epiſtolam *de Petrioli Balneis ad Epiſcopum Papienſem* exaraſse, quæ impreſsa legitur in laud. ampliſſima Collectione Junctarum *De Scriptoribus Balneorum*; & quam propterea meritò recenſent *Spach*; *Merlcklin.*, *Simler*; & *Fris.* locis allegatis.

Porrò ſplendida hæc *Ugolini* merita, nihil ipſi, triſte ſibi ominari, neque in hac novâ Urbis Œconomiâ, ſinebant; attamen abeundum ſibi è re duxit, & auſu non pœnitendo abiit.

Ut autem temporarius extitit, neque ſatis pacificus, hic *Mediolanenſium* Dominatus, ita temporaria fuit, neque ſatis tranquilla hæc Studiorum cura. Alienatâ rurſus a *Gabriele Maria ex Vicecomitibus*, & in Florentinam Rempublicam, magna ex parte, translatâ Piſanâ Ditione (*a*) novum inter Florentinos Er..ores ac Piſanos

Ci-

(*a*) Leonard. Aretin. Lib. XIII. Hiſtor. in Princip. = Jacob. Pog. Lib. IV. = Scip. Ammirat. Tom. 2.

Lib.

Cives non ſecus ac vile mancipium, ſemel iterumque injuſtè divenditos, Bellum exarſit; quo tandem, a *Jo: Gambacurta* denuo Rerum potito, per opportunam ſui, ſibique male creditæ Urbis deditionem An. 1406. ſecutam, quoquo modo ſublato, (*a*) ignoſcendum planè Piſanis fuit, ſi peſſundatis interim eorum Rebus, Litterariam Rem aliquantiſper curare neglexerint. Ignoſcendum quoque Florentinis Victoribus, ſi non illico in id mentis aciem cogitationemque contulerint. Eoque benigniùs indulgendum, quod urgendum illis propoſitum fuerat, Generale illud Lyceum amplificandi, quod in Patria Urbe pluries inſtauratum, pluries injuriâ temporum relanguerat.

Evolventibus paucula, quæ huc illuc diſperſa ſuperſunt, Academica

---

Lib. XVII. Hiſtor. Flor. ſub. An. 1405. = Bernard. Oricellar. Comment. de Bel. Piſan. = Bernardin. Cor. Hiſtor. Mediol. Part. IV.

(*a*) Dict. Aret. ibid. = Matth. Palmer. de Captiv. Piſar. = Gin. Cappon. Monum. Hiſtor. de Reb. Florentin. di An. = Philipp. Nerl. Comment. Lib. 2.

Acta, quæ *Studii Proviſiones* appellant, nulla pro *Piſani hujuſce Studii* reparatione conductio occurrit. Conticuiſſe autem aliquantiſper Publicas Theologicæ Diſciplinæ Cathedras, id quoque argumento eſſe videtur, quod in Solemni Concilio Piſis an. 1409. indicto, adverſus *Petrum de Luna*, ſub *Benedicti* XIII. nomine, & *Angelum Corerium*, ſub nomine *Gregorii* XII., Pontificiam Sedem detinentes [in quorum locū ſuffectus *Alexander* V., *Petrus Philargius* antea dictus (*a*)] quamplures è diverſis Orbis Chriſtiani Univerſitatibus, Theologi & Canoniſtæ evocati ſint, quos latè recenſent *Ughellius*, *Lenfant* &c., nullus verò e Piſana Univerſitate accerſitus appareat: ſufficientibus, ut reor, neceſſario huic Studio, intra Religionis ſuæ ſepta Cœnobitis, qui nullo non tempore floruerunt eruditiſſimi. Immo calamitoſis his temporibus, ſi *Paulo Troncio* fides adhibeatur, nedum peculiaris hæc Urbis Œconomia, ſed & univerſa ferè neglecta fuit uſque ad an. 1433., quo pro Rebus Piſanis

(*a*) Alphonſ. Ciacon. de Vit., & Geſt. præd. Pontific.

nis quinque deputati ſunt. (*a*) Interim tamen, ut jam præmonuimus, nimirum paulò poſt *Annum milleſimum quadrigenteſimum*, præter laudatum modò *Gaſparem*, Piſis egregiam navare operam pergebat *Benedictus Plumbinas*, de cujus conductione in ſuperiori Diſſertatione tempeſtivè egimus: (*b*) illud unum modò adjicientes, *Henrici* filium fuiſſe; neque proptereà Tertium quemdam ſtatui poſſe, Familiâ & Agnatione *Henricum*, atque ita diverſum a *Plumbinenſi Benedicto*, cognomento *Barzio*, prout ſibi ſuaſit *Pancirolus*, (*c*) deceptus, ut videri poteſt, ex diverſitate duplicis ſepulcri; cùm illud *Benedicti Plumbinatis* in Patavina; iſtud verò *Benedicti Henrici* in Piſana Eremitarum *D. Auguſtini* Eccleſia, vulgò *di S. Niccola*, in Mſs. Sepulcralibus Monumentis, ſub N°. XIIII., recenſeatur: quaſi implicet aliquem ex *ipſius* Aſcendentibus *pro ſe ſuiſque*; vel ipſum etiam *Benedictum Barzium Plumbinatem*

(*a*) Tronc. in Memor. Hiſtor. Pag. 507.

(*b*) De nonnullis &c. Pag. XXXVI.

(*c*) Lib. 2. de Clar. LL. Interpret. cap. 77. in fin.

tem, in Piſana quoque Civitate, cujus Jure fruebatur; immo vel ab an. 1383., primis honoribus erat functus, (*a*) & ubi diuturniorem Sedem habuit, ac fixam habiturum ſeſe forſan opinabatur, ibi mortis memorem, ſibi Cenotaphium paraſſe; alibi verò poſtmodum, Doctrinæ famâ vocatum obiiſſe: prout reverâ Patavii contigit, ut alibi fuit adnotatum. (*b*).

De Paterno, quod nunc adjicimus, *Henrici* nomine, nos planè certos reddunt Duæ Membranæ Chartæ ejuſdem temporis. Harum una aſſervatur apud Nob. Piſ. Cives, *Capitaneum Pompejum & Fratres de Paule*, ſenioris *Pompeii Medicinæ Doctoris* Gentiles Illuſtres, ex Rogitu *Ser Gerardi de Calcinaria*, Tranſumptoque *Ser Jo: de S. Kaſſiano*, *Imperiali Auctoritate Notariorum atque Ordinariorum Judicum*; & continet executionem Laudi, pluribus datis acceptiſque, inter *Magnificum, & Potentem Militem Dom. Jacobum de Appiano Capitaneum & Defenſorem Piſani Populi*, & ipſius vice, *Ser Euſtachium*, *Ser Angeli de Mon-*

(*a*) Lib. Prior. Piſan. in Archiv. Commun. ſub. D. An. 1383.
(*b*) In 3. Diſſert. Pag. XXXVIII.

Monte Foſcoli, ex una parte; & ex alia inter *Dom. Guiduccium Uxorem Dom. Nicolai Lanfreducci*; *Dom. Bondum Legum Doctorem de prædictis Lanfreduccis*; *Dom. Lapum Gatti*; *Jacobum Ludovici Legum Doctoris de Favulia &c. mod. & nomin.*; Signata *An. Dominicæ Incarnationis* 1398. *more Civit. Piſ.*, ubi tamquam *Teſtes* adhibentur egregii LL. Doctores *Benedictus* (de quo nunc ad nos) *quondam Henrici de Plumbino de Capella Sanctæ Eufraxiæ*; *Guaſpar de Civitate Caſtelli* (de cujus præcisè Patria mentionem nos habituros ſuprà recepimus) *de Capella S. Sebaſtiani de Fabricis Majoribus*, & *Rever. Ildebrandus Rector Eccleſiæ Sancti Clementis* &c. (*a*)

Ex prædictis autem Chartis altera paulò antiquior eſt, ſpectat enim ad an. 1393., & continet cujuſdam Judiciariæ Sententiæ tenorem, per prædictum *Benedictum Henrici de Plumbino*, & *Gerardum Jacobi de Favuglia*, *Piſanos Judices* pronunciatæ, vi cujus *Jo:*

(*a*) Vid. Authentic. in Lib. Quinque Inſtrument. *dict. An.* ap. præd. *de Paule*, Inſtrum. ex ordine V. Pagpen.

Jo: Macigna Piſanæ Majoris Eccleſiæ Ædilis, *Mod. & Nomin.*, in poſſeſſionem quorumdam bonorum, adverſùs Heredes *Gerardi Gambacurtæ* immittitur; prout latiùs in Archivo præd. Operæ (ſub num. 247.) juxtà recentiorem diſtributionem, videre datur.

II. Ineunte igitur hoc feculo, *Benedictus Henrici de Barzis Plumbinenſis* unus erat e paucis, qui ſtudioſos adoleſcentes in Legum noſtrarum ſtudiis erudiebat, e cujus Scholâ in publicam Fori lucem prodiit *ſapiens*, & *circumſpectus Vir Dominus Urbanus Magiſtri Dominici de Ceulis Civis Piſani*, quem primis Juriſprudentiæ Studiis, ſub an. 1396., Bononiæ initiatum, (*a*) reducem poſtmodum in patria ampliſſimis Juriſconſultorum Inſignibus exornaſſe, primæ Literariæ Ephemerides, in Generali Archiepiſcopali Archivo Piſano exiſtentes, dubitare non ſinunt. (*b*)

Deeſt utique, in hoc primo Promotionum Codice, dies & annus præ-

(*a*) Supplem. MSS. Rer. Plumbin. ap. Nob. Vir. Comit. *della Gherardeſca*, & erudit. *Jo: Baldovinettum*.
(*b*) Lib.1. Doctor. Pag.233. a terg.

prædictæ Inaugurationis; atque ex extrinſeca, quam præſefert, Inſcriptione, ab anno ſcilicet 1434. ad annum 1473., fidem incurioſi Ccllectoris ſequendo, facilè Lector a vero aberrare poſſet, opinando ſeriùs, quàm revera evenerit, *Urbanum de Ceulis a Bened. Plumbinate* fuiſſe pręſentatum, promotumque. At animadvertentibus ipſam ad Literarias Infulas promotionem factam fuiſſe, Piſanæ Eccleſiæ habenas moderante, & hoſce gradus, in vim Pontificiæ Cęſareæque auctoritatis, impertiente *Alamanno Adimario Florentino*, *Archiepiſcopo Piſano*; & ipſius nomine, tamquàm Generali Vicario, & ad prædicta Commiſſario *Hieronymo Gilio.*, pariter *Florentino*, *Decretorum Doctore*, *Apoſtolicæ Sedis Capellano ac Priore S. Mariæ Montis Crucum ac Porciliæ Diæceſis Patavinæ*, ante bellicam excidionem an. 1509., ad Monaſterium *Ordinis Camaldulenſium* pertinentis; (*a*) qui meritiſſimus Antiſtes (poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalis) ab anno ſolùm 1406. uſque ad an. 1411. Piſanæ Diæceſeos gubernio præ-

(*a*) Auguſt. Fortun. Hiſtor. Camald. P. 2. Lib. 4. Cap. XI. = Petr. Bemb. Hiſtor. Venet. Tom. 2. Lib. 9.

præfuit ; (*a*) hinc liquido conſtat, quod, intermedio aliquo tempore, inter prædictum annum, videlicet 1406., & ſequentes, a *Benedicto Henrici de Barzis* publice Piſis Jura edocebantur : ejuſdemque ope, ac miniſterio, Academici gradus conferri poterant : de facto autem contuliſſe *anno ſecundo prædicti Archiepiſcopatus*, & ſic an. 1407., tutò mihi videor poſſe aſſeverare ; certum quippe eſt ex Authentico quodam Teſtamento anni 1406. *Stil. Rom.*, quod apud Nobiliſſimos & ornatiſſimos Fratres *Ab. Julium & Jacobum de Uveſſinghis* aſſervatur, in quo *Dom. Joanna Vidua Dom. Pauli de Benedictis, & Filia olim Rainerii olim Dom. Gaddi de Maſſagamuli de Upezzinghis habitantis in Capellâ S. Laurentii Kinſice*, de rebus ſuis diſponit &c. *de prælaudatis Archiepiſcopo, & Vicario ; & ipſomet Domino Urbano*, inter Teſtes, mentionem fieri ; & prædictum *Urbanum*, abſque ullà *Doctoris* denominatione, recenſeri ; denominatione mehercle in

Fi-

(*a*) Ferd. Ughell. Ital. Sac. Tom. 3. = Joſ. *Martin.* Theat. Baſil. Piſ. pag. 155. Franc. Orlend. Orb. Sacr. &c. Lib. 3. Cap. 25. N. 65.

Filio Urbano. ſi jam *prædicto Anno* fuiſſet Laureâ inſignitus, eo minus omittendâ, quod bis in eodem contextu ipſius *Genitor*, ſub honorificâ *Magiſtri* nota, deſignatur (*a*).

Cum qua hiſtorica noſtra obſervatione, ſi ulterior hæc quoque ex *Æmonienſis Epiſcopi Tomaſini* Commentariis eruta conjungatur, (*b*) nempe ſub anno communi 1407., pro an. 1408. & ſubſequentibus, *Benedictum Plumbinenſem* ipſius *Urbani* Promotorem, inter celebriores Patavini Gymnaſii Profeſſores, cum ſtipendio ſexcentorum Ducatorum, fuiſse deſignatum, ibique uſque ad obitum, an. 1410. ſecutum, permanſiſse, non eſt incongruum præaſserto tantùm *ſecundo Adimarii Archiepiſcopatus Anno*, videlicet *quadringenteſimo ſeptimo ſupra milleſimum*, prædictam *Urbani* promotionem alligare; atque ita, unâ eademque operâ, aliquantulum Academicos Actus retrotrahendo, notabilem eorumdem Monumentorum defectum ſupplere.

Ut

(*a*) Ex Rogit. Benenati Fil. olim Periniq. Ser Perini de S. Savino Piſan. Civit., ap. DD. Dom.

(*b*) De Gymnaſ. Patav. Lib. I. Cap. V.

Ut autem, arreptâ hinc occaſione, de *Illuſtri hoc Alumno* alia quædam obiter hic ſubnectamus, ſciendum, tantam apud Cives ſuos Doctrinæ ac Prudentiæ opinionem, ſibi conciliaſse *Urbanum*, ut vel ab an. 1423. Advocatus Piſanæ Communitatis renunciari cæperit, (*a*) quod utique ſubſequutis temporibus pluries ei contigit; imò aliquoties Judex Delegatus, nec ſemel Orator ad Florentinam Rempublicam &c., & ad ipſum ſummum Pontificem Opt. Max. *Eugenium* IV. fuerit honorificentiſſimè deputatus. (*b*) Patrem verò habuit *Magiſtrum Dominicum* ſpectatiſſimum Virum, etiam ipſum *Doctoris Laureâ*, in Facultate tamen Medicâ inſignitum. (*c*) *Piſis* verò, an alibi Doctorum Laureâ fuerit ejus Pater exornatus, in comperto adhuc non eſt; quamvis veriſimile ad-

(*a*) Volum. 63. Quat. 2. An. 1424. Pag. 24. = Quat. 4. Pag. 4. Archiv. Pub.

(*b*) D. Vol. 63. Quat. 6. ab An. 1428. &c. Pag. 9. & 20. = Vol. 64. Pag. 1. = Vol. 65. An. 1435. Quat. 1. Pag. 2. p. 7. p. 16. terg. p. 18. &c.

(*c*) Id. Privil., & Teſtam. de quib. ſuper.

admodum ſit in hoc *Patrio Gymnaſio*, publicæ utilitati jam reſerato, id fuiſſe factum: neque enim mihi probatur Piſanum hominem natale ſolum, hujuſce notæ Sapientum veſtigiis jam impreſsum, ſapientiæ cauſâ, vertiſse; & inſtar *Pythagoræ* &c., aliò demigraſse.

Quod ipſum, ob oppoſitam planè rationem, non licuit affirmare, nec de *M. Bonajuto*, nec de *M. Falcone*, quos jam explicitè commemoravi; nec de *Marſucco Scornigiano*; (*a*) nec de *Norberto Alberti:* (*b*) nec de *Lambertuccio;* (*c*) neque de *Cacciabeſtia Bectoque ejus Filio de Caſtello Anſelmi*; (*d*) nec de *Galgano Ildebrandini de Leulis;* (*e*) neque de aliis quamplu-

(*a*) Add. MSS. ad Cardos. Pag. 110. = Landin. in Dant. Cant. & Tern. 6. *Purg.* Farrull. in ſupplem. Hiſtor. Monaſt. Angel. p. 37.

(*b*) Spol. Contract. Arch. Secret. Archiep. in Arch. S. Michael PP. Camald. N. 272.

(*c*) Jo: Lam. P. 2. Hodæpor. pag. 381.

(*d*) Lib. Mſs. Equit. Franc. de Paule.

(*e*) Ibid. in Origin. ap. præd. Nob. de Paule.

plurimis, quos aliò, ex Inſtituti mei ratione, properans, ſub compendiariâ Notâ &c., in prima Hiſtoricâ Diſſertatione comprehendi; (a) *non video enim*, ut concors in hac parte cum eruditiſſimo *Henrico Brenkmano in Epiſtola ad V. C. Franciſcum Heſſelium*, in numero tamen plurium, ejus utar verbis, *non video additum ubi nam Laureâ Doctorali redimiti fuerit, an Piſis*,, *an Bononiæ, an alibi*. (b)

Et quod nunc magis ægrè fero, neque locum ac tempus licet mihi certò deſignare acturo de *Michaele de Ceuli, eximio Medicinæ Doctore*, cujus Epithaphium partim ætate conſumptum, partim recentiori ſcalpro ſuppletum, legitur in pavimento primi Clauſtri Eccleſiæ, quæ nunc *PP. Carmelitarum* eſt, atque olim *S. Eulaliæ Cathelanorum* fuit, ſub N.° XXIV., atque ita ſe ſe habet *S. MGRI. Michaelis Bandini de Ceuli Civis Piſani in Arte Medicinæ Nobilis Doctoris et Enrici ejus Germani in Arte Chirurgie qui obiit A. D.* MCCLXV8.

Nondum enim, *hiſce temporibus*, nem-

(a) Pag. VIII. a Pag. 4. & ſeq.
(b) Pag. 18. Edit. Traject. ad Rhen. an. 1735.

nempè decurrente *tertiodecimo ſeculo*, immo nec *decimoquarto*, ante *annum milleſimum trecenteſimum trigeſimum nonum pro certiori Epocha*, *jam conſtitutum*, Piſana Academia in Publicam formam redacta; nec Privilegiis Academicis munita, abſque noſtra atque communi illuſione, dici poteſt. Siqui gradus in Scientiis conferebantur, quod certè numquam inficiari ſum auſus, per ea, quæ in genere; & nominatim de quibuſdam aliis Academiis, eruditè diſſerit *Herman. Conringius*; *Theodor. Hopingius*; (*a*) de noſtra etiam in ſpecie, *Georg. Criſtoph. Walter. de Stat. & Privileg. Doct. Cap.* 3. §. 10., apud *Andream Mendo in ſuo Tractatu de Jur. Academ.* Lib. 1. quæſt. 14. num. 361.; non utique con-

(*a*) Herman. Conring. Tom. V. Suor. Oper. in Diſſertat. Academ. Diſſert. 4., & ſupplem. 67. = Theodor. Hoping. de Inſignib. Cap. 2. Mum. 594. & ſeq. = quibus Add. Jo: Coraſ. in L. 2. §. & ut obiter. ff. de Or. Jur. Andr. Alciat. Lib. 8. Parerg. Cap. 10. Carol. Anton. de Luc. de Præſt. Laur. Doct. Cap. 1. cum Spiegel. Caſſan. Lotter. ibid. alleg.

conferebantur præd. gradus in *Generali Gymnaſio*, utpotè nondùm Publico Bono reſerato; non in vim peculiarium *Pontificiorum* aut *Imperialium Diplomatum* nondum obtentorum; non eâ *formali Ratione*, qua poſtea ſolemniter conferri cœperunt. Mentio fit de vetuſto quodam Examine, quod appellant *Matriculam* Medicorum Doctoratui aliquatenus æquipollente, in Publico hujus Piſanæ Civitatis Tabulario, atque etiam in Capitulari, ſub an. 1319. prout ſuperiùs in tertiâ Diſſertatione fuit adnotatum: (*a*) atque hæc fortaſſe Monumenta, quæ cum aliis opportunè relata ſunt, æquivocationi eorum cauſſam præbere potuerunt, qui an. 1320. *publicè adapertam Academiam noſtram* exiſtimarunt; a quâ tamen æquivocationis notâ, cum aptè & appoſitè excogitata *Privati, Publicique Gymnaſii* Diſtinctione, eruditiſſimum *Pancirolium* amicè vindicavi; (*b*) neque vivus ac ſoſpes, ſinè evidentiſſimo Documento, rem mihi aliter patiar obtrudi.

Re-

(*a*) De Nonnullis &c. Pag. XV.

(*b*) In Diſſert. Hiſtor. Crit. pag. 22.

Regrediendo autem ad *annum* III. 1433., de quo prælaudatus *Troncius* paulò poſt ad edocendam Logicam Facultatem, tenui ſtipendio triginta quinque Florenorum, *Fr. Evangeliſtam de Piſis* de novo conductum invenio. Aliunde eruo, nempe e Chartis Pergamenis *S. Nicolai* ejuſdem Urbis, (*a*) ex inſigni Ordine Eremitarum D. Auguſtini fuiſſe; e Paternâ Famliâ *Puccinià*; Maternâ autem *Lanfredinia*, dum adhuc in ſeculo degeret *Joannem* nuncupatum, una cum duobus Fratribus *Gabriele*, & *Guilelmo* ab *Antonio* communi Patre heredem ſcriptum; a Matre verò donatarium. Idem anno antecedenti, nempe 1430., ſub Decanatu *Petri Franciſci de Prato* Nobilis Carmelitæ, in Theologorum Florentinorum illuſtre Corpus meritò cooptatus, (*b*) B Di-

(*a*) Chart. 1112. ſub an. 1405.; & Chart. 1162. an. 1424.

(*b*) Lib. Conſtit. & Decret. Pag. 157. = Luc. Joſ. Cerachin. in Catal. Gen. Pag. 22., & in Faſt. Pag. 114.

Divinam hanc Facultatē potuiſſet quoque in hoc noſtro Gymnaſio cum laude profiteri.

IV. Ad Medicam Doctrinā *Joannem Mag. Petri Sermonetam* publice tradendam utiliter evocatum, in comperto pariter eſt; & quidem circa hæc eadem tempora. *Jo. Nicolaum Paſqualem Alidoſium* in ſuo Tractatu de Peregrinis Doctoribus, qui Bononiæ Theologiam, Philoſophiam, Medicinam &c. profeſſi ſunt (*a*) teſtem habemus locupletiſſimum, ſub anno 1430. in eo Archigymnaſio, & ſic aliquanto antea quam *Piſis*, *Sermonetam* publice profeſſum fuiſſe. Inter ejus ſcripta præcitatus Auctor recenſet *Quæſtiones in Aphoriſm. Hippocrat.*, & in *Artem Parvam Galeni*. De primo hoc Opere teſtatur etiam *Iſrael Spachius* in Elenco Scriptorum Medicorum, (*b*) & *Georgius Abraham Mercklinius in ſuo Lindenio renovato*. (*c*) Auctoribus, qui de eo, tanquam conſpi-

(*a*) Pag. 33.
(*b*) Pag. 5. & 13.
(*c*) Lib. I. Pag. 682.

ſpicuo Medico Bononienſi loquuntur, jungendus *Herman. Conringius* cum ibi notatis. (*a*) De alio *Sermoneta*; ſed *Alexandro Senenſi* opportunius inferius.

Eadem circiter ætate, nempe ab anno 1434. per plures ſubſequentes, duos alios eximios Medicinæ Profeſſores, videlicet *Mag. Febium* (alibi Fabium) atque *Mag. Andream*, ambos filios *M. Nicolai Pacis de Pergula*, Piſanam Cathedram moderatos fuiſſe conſtat; (*b*) imò ſecundum hunc a primo Inſignia Doctoratus recepiſſe; alioſque inclytos Viros ad Doctoratus apicem evexiſſe, veluti *Nicolaum de Aula Siculum*; *Thadæum Cambini Florentinum*; *Jo: Mag. Petri de Aretio*; *Jo: Filium Bartholomei de Lachellis de Fontaneto Vercellens.* V.

B 2 *Diæceſ.*

(*a*) Tom. V. Tractat. de Script. Sec. XV. Cap. IV.

(*b*) Lib. I. Doctor. Archiep. Archiv. Pag. 162. 169. &c. 171. terg. an. 1434.

(*c*) Dict. Lib. I. Pag. 232. 196. præt. loc. ſup. hic. add.

Diæceſ. Inter heredes *Mag. Andreæ*, in prædictâ Doctorum Ephemeride, recenſetur ut Teſtis, *Mag. Jo: Baptiſta*. (*a*) E' Filiis quoque *Mag. Andreæ* fuiſſe *Benedictum*, eumdemque inter Priores Piſanæ Civitatis, imò *Præpoſitum* aſſediſſe, Publici Tabularii Monumenta dubitare non ſinunt. (*b*)

Commune Sepulcrum *Nicolai* Genitoris, atque *Andreæ* Filii, cum Gentilitio Stemmate *duodecim Stellarum*, videre datur in Cœmeterio Eccleſiæ Parochialis *S. Petri ad Vincula* Piſanæ Civitatis cum hac Inſcriptione *Hoc eſt Sepulcrum Nicolai Pacis & ejus Filii Magiſtri Andreæ de Serenis de Pergula Artium & Medicinæ egregii Doctoris & ſuorum heredum an. Domini* MCCCCLIV.

Ex quibus utique conjecturam capimus non contemnendam, alium Marmoreum Lapidem, *Togatum Virum* decenter exhibentem, in

(*a*) Dict. Lib. I. Pag. 52. ſub an. 1471.

(*b*) Lib. IV. Archiv. Commun. Pag. 2. an. 1486. 87. 90.

in Eccleſia Monialium *S. Pauli ad Hortum è Dominicana Familia*, his, abſque Anno, literis circumſculptis *Hoc Sepulcrum eſt Magiſtri Pacis Scientiæ Medicinæ Doctoris & Heredum Suorum*, ad alium M. *Pacem* pertinere, antecedentis ſeculi illuſtrem Phyſicum, qui ſub an. 1369. inter Sapientes Viros ad publicè conſulendum adhibitos enumeratur (*a*) longe diverſum ab Avo horum illuſtrium Collegarum; eoque tutius de hac diverſitate ſuſpicari licet, quod geminum inſigne *Trium Vexillorum*, adeoque a ſuperiori ſtemmate diſtinctum, ſuperinciſum in ſecundo hoc Marmoreo Lapide, intuemur.

Aliorum interim judicium ſit & ſubſidiaria annotatio num in hac Piſanorum Lectorum ſerie recenſendi ſint hi quatuor ampliſſimi Viri, qui ſequuntur; neque enim mihi perſuaſum eſt, ut nonnullis, in priſcis Monumentis *Doctores* ſemper a *docendo*; *Profeſſores* ſemper a *Publicè*

(*a*) Dict. Lib. IV. Pag. 55.

Profitendi munere appellari.
Mag. Antonius Bartoli de Quargallis, de quo in Archivo Dom. Priorum hujus Urbis, ſub anno 1450. die 13. Octobr., (*a*) hæc, præ cęteris, obviam fit Proviſio *Mag. Antonio de Quargallis Civi Lucenſi Medicinæ Profeſſori in Civitate Piſana libras* 40. *pro reſiduo ſui Salarii*. Minimè autem dubito excellentem hunc Virum ex honeſtiſſimâ Geminianenſi *Quarqualiorum* Familiâ fuiſſe, quæ maximè claruit; & ex qua, inter alios, prodiit *Cherubinus Quarqualius*, *Bartoli* pariter Filius, Patriæ Eccleſiæ Canonicus, *Marſilio Ficinio* ſtudiis animiſque conjunctiſſimus; Poeta quoque non inficetus; (*b*) & anteacto ſeculo, *Mag. Joannes*, Ludovici Filius, Publicus indubitanter Juris in

(*a*) Volum. *66*. quat. 4. pag. 10. &c.

(*b*) Paul. Corteſ. de Hominib. Doct. Edit. Flor. Pag. 53., & Lib. 2. de Cardin. pag. 80. in Not. alleg. = Jo: Vinc. Copp. Annal. S. Gemin. de Hom. Ill. pag. *99*. *194*. 201.

in Academiâ noſtrâ Profeſſor, de quo ſuo loco. (*a*)

Mag. Antonius Falcucci de Florentiâ, cujus aliorumque ex hac conſpicuâ Familiâ;declinante etiam ſeculo XV., Piſis degentium, (*b*) extat in Eccleſia PP. Carmelitarum nobile Sepulcrum, & prælaudati *Antonii* hoc Sepulcrale Elogium S. *Honorabilis & præclariſſimi Artium & Medicinæ Doctoris peritiſſimi Mag. Antonii de Falcuccis de Florentia & Heredum ſuorum, qui obiit anno Domini* 1423. *die* 4. *Maii, quorum Animæ requieſcant in Pace*.

Profectò in hac Familiâ domeſticam quodammodo Sapientiam dixeris; nam omni ævo Viri Sapientiſſimi floruere; nec multò antè *Nicolaus in omnibus ferè Italiæ Gymnaſiis optima ſtipendia meritus*, ut *Michaelis Poccianti* verbiſ utar; (*c*) pluribuſque ſcri-

(*a*) Vol. 46. Arch. Flor. Proconſ. N.. 103.

(*b*) Lib. I. Arch. Commun. ad an. 1462. pag. 117.

(*c*) In Catal. Script. Flor. Pag. 134.

ptis Medicis, Phyſicisque clarus. Ejus emortualem annum, in Cęmeterio Metropolitanæ Eccleſiæ Florentinæ, ſub num. 135., marmorea hæc Inſcriptio, quamvis hodie magnâ ex parte conſumpta prodit ✠. *Niccolao Falcuccio Civi Florentino Philoſophiæ, & Medicinæ Lectori, quem inter illuſtres Patriæ Viros inſignem graviſſimi Auctores, doctiſſimaque ejus Volumina teſtantur A. D. 1412. vita functo, Peregrinus Falcuccius Franciſci Filius Tritavo Optimo Sep. reſtit. cur. A. D. 1615.* (*a*) Inter Volumina autem, de quibus in præcit. Inſcript. ſermo habetur, minimè dubium, quod accenſendi ſint *Sermones Medicinales*, de quibus ejuſdem Seculi Scriptores *Dominicus Leonardi Buoninſegni*, *Criſtophorus Landini*, cum plauſu loquuntur; (*b*) & poſt ipſos *Bartho-*

(*a*) Urb. Carrett. in Mſs. Eccleſ. Florent. N. 135.

(*b*) Boninſ. Hiſtor. Flor. ſub. an. 1411. Pag. 3. = Landin. Apolog. Dant. & Florent. verb. Fiorentini excell. in Doctrin.

tholomæus Baphius ; (*a*) *Iſrael Spachius*, (*b*) & *Georgius Abrah. Mercklinius* : (*c*) ex eo per errorem *Nicolajo Nicolio* tributi, quod in iis corrigendis ſedulam operam impenderit. (*d*)

Prædictis autem duobus clariſſimis Viris, nempè *Antonio Quarquallio* atque *Antonio Falcuccio*, de quibus nobis dubius ſermo, jungendus, & quidem non tam tempore potior, quam potior etiam dignitate

Franciſcus de Spello Decretorum Doctor. Ob inſignem Doctrinam morumque probitatem, ſubeundo graviſſimo Vicariatus oneri par, nec immeritò, reputatus eſt a Felicifs. Recordat. Antiſtite *Petro de Riccis* Patricio Florentino.

(*a*) In Orat. de Felicit. Urb. Florent.

(*b*) In Elench. Script. Med. Pag. 8.

(*c*) In Van Derlin. Renovat. Pag. 833.

(*d*) Clariſſ. Apoſt. Zeno in Ephemer. Liter. Ital. Tom. IX. — Negr. de Script. Flor. pag. 323. & 429.

Expletis autem pro dignitate muneribus omnibus, ac mortalitatis debito perſoluto, in Principe Sepulcreto Piſanæ Civitatis humatus fuit cum decenti hac Inſcriptione *S. Venerbilis Viri Dom. Franciſci de Spello Decretorum Doctoris exiſtentis Vicarii D. Pis. Archiep.*, *qui obiit die* 11. *Octob.* 1417.

Petrus quoque Nob. Viri *Antonii de S. Petro*, (*a*) qui eidem Piſano Cæmeterio, corporeis exuviis ſuis, decus illud addit, quod olim ſuperſtes Eccleſiæ Primitiali atque Urbi univerſæ, moribus & ſcientia addiderat. Brevis Epigraphe, quæ ibi legitur, ita ſe ſe habet *Sepulcrum Venerabilis Egregii Viri Decretorum Doctoris D. Petro olim Magiſtri Antonii de S. Petri Canon. Piſan. qui obiit die* 1. *Junii* 1429. *Heredum ſuorum*.

IV. Non denegando autem omninò fidem, in re alioquin veriſimili, tribus, tametſi recentioribus, & ſub-

(*a*) De hoc aliiſque d. Fam. vid. Erudit. Conſult. Audit. *Jo: Phil. Paperin.* in Flor. ſeu Piſan. Mendes an. 1728.

ſubleſtæ aliquatenus fidei Hiſtoricis, quorum duo Florentinorum Scriptorum Collectores ſunt; (*a*) alter verò Arretinarum Rerum Conditor, (*b*) in hunc noſtrum Ordinem, & præcipuè Philoſophorum, ultrò libenterque cooptamus; & brevi commoratum profeſſumque condolemus immortalis memoriæ Virum, videlicet *Carolum* Juriſconſultiſſimi Viri *Gregorii* (non *Georgii*, ut Scraderus, & Vaſarius (*c*) *De Marſuppinis* (*d*) origine Arretinum; Florentinum autem domicilio, muneribus, connubio, filiis, ſepulcro. Cohoneſtant hujus eximii Viri nomen avita ſanguinis cla-

(*a*) Mich. Pocciant. in Catal. Script. Flor. P. I. ⇌ Jul. Negr. in Catal. V. *Car. Marſup.*

(*b*) Farul. Annal. Aret. Pag. 324.

(*c*) Scrader. ap. Script. Ephemer. lit. Ital. Tom. 10. Art. 10. ⇌ Vaſar. in Vit. Deſider. &c.

(*d*) Lib. Extract. Civit. Aret. ⇌ Nicerón. T. 28. ⇌ Zen. in Supplem. ad Voſs. d. T. X. Lit. Ital.

ritas, quæ in plures inſignes Familias, Marſuppiniam nempè *Ricoveram*, *Gamurrinam*, *Quarateſiam*, *Guidoterniam* ſeu *Brandagliam* ab uno eodemque nobiliſſimo Fonte derivata, neſcimus â quânam majorem lucem ſplendoremque mutuata ſit. (*a*) multoque magis *Carolum* conſpicuum reddunt, Florentina Literarum Humanarum pro Feſtis Diebus Cathedra; (*b*) Magiſterium celeberrimi *Jacobi Ammannati* Cardinalis ampliſſimi, (*c*) aliaque, non hereditaria, ſed propriis meritis quæſita illuſtria munera, quæ geſſit; veluti excelſum munus a Secretis Reipublicæ Florentinæ quod intermedius inter *Leonardum Brunium*, & *Poggium Bracciolinium eruditiſſ. Viros*, per novem circiter annos, ab anno ſcilicet

1444. quo An-

[*a*] Eugen. Gamur. Tom. I. Hiſtor. Geneal. pag. 88. & 119.

[*b*] Lib. I. Rer. Stud. Archiv. Flor. Reform.

[*c*] Placid. Puccinel. de Fid. Notar. pag. 89. = Paul. Corteſ. de Homin. Doct. pag. 45.

1444. *Leonardus*, (*a*) uſque ad an. 1453. quo ipſemet *Carolus* ſenex obiit, ſumma cum laude maximoque emolumento exercuit. (*b*) Commendant etiam ingenii fœtus gręcè latinèque doctiſſimi, pręſertim in Poetica Facultate, quâ maximè pręſtitit, & excelluit: (*c*) quos, tanquam exuſtos, aut aliâ lacrymabili de cauſâ non apparentes, ſua ętate, licet parum ab eâ *Marſuppini* remotâ, querebatur *Paulus Corte-*

[*a*] Abb. Laur. Mehus in Vit. Edit. Epiſtol. d. Leonard. pręmiſs. pag. XLV. = Dom. Boninſ. ſub pręd. an. pag. 79. & 102. = Alb. Fabric. T. I. Bibl. Med. & Infim. latin. = Niceron. d. T. 28. Memoir. des Hom. Illuſtr. pag. 294.

[*b*] Pog. Bracciol. in Orat. Leonard. pen. Balur., & in Hiſtor. Conviv. = Scip. Ammir. P. II. Hiſt. &c. ſub d. An. = Matth. Palmer. in Lib. de Tempor. &c.

[*c*] Petr. Barocc. in Orat. Funer. Anton. Roiſcel.

teſius, (*a*) poſtmodum in bibliotheca Mediceo - Laurentiana &c. veluti redivivos junior fama deprædicat. (*b*) Dignus propterea habitus fuit ut, veluti, per Antonomaſiam, *Carolus Aretinus* nuncuparetur; atque ejus deploratiſſimo fato ſuperſtites eximię Literaturę Viri *Franciſcus Philelphus*, aliàs ei infeſtiſſimus, in Epiſtola *Pallanti Strozzæ* data, *Æneas Sylvius Piccolomin. Flavius Blondius*, *Matthias Palmer.*, *Marc. Attilius Alexius*, *Hieronymus Aliottus*, *Antonius Palermita*, aliique ſummis eum encomiis, neque in uno tantum ſcientiarum genere, extollerent. (*c*) Ve-

[*a*] Dialog. de Homin. Doct. pag. 19.

[*b*] Philipp. Labb. Nov. Biblioth. Mſs. Libror. = Bernard. Montfauc. Biblioth. Biblioth. Tom. I. = Clar. Apoſt. d. Tom. X. = Fabric. & Negr. dd. loc.

[*c*] Æneas Sylv. in Hiſtor. Europ. = Flav. Blond. in Ital. illuſtr. = Matthias Palmer. de Bel. Ital. ap. Nob. & erudit. Vir.

Verum enim vero, quum inter ceteras, ejus pręclariſſimi ingenii dotes; Poetica Facultas in Latinis eminere videretur, ut diximus; hinc factum, quod Publico Decreto, poſt ejus obitum, Poetica Laurus *Marſuppinio* decreta fuerit; (*a*) &, Solemnibus Exequiis, pro Arretinâ Civitate in Cenſum harum expenſarum relata, duobus nobilibus Civibus magnifico funeri aſtantibus, nempè *Benedicto Michaelis de Accoltis*, & *Michaele Angelo Chriſtophori de Domigianis*, (*b*) manu prę-

Vir. *Franc. Quarantotto*, *Piſan.* = Bened. Accol. dial. = Marc. Attil. Aleſs. ap. d. Gamur. d. loc., & d. Tom. X. Liter. Ital. = Hier. Al. Anton. Palermit. ap. d. Nicer. Tom. 28. = Pog. init. Dialog. adverſ. Hippocrit., & Invect. in Laur. Vall. = Platin. in Vit. Eugen. IV. = Baph. . de felic. Urb. F. = Hieron. Bard. in ſum. Chronol. P. 3. p. 692. &c.

[*a*] Scip. Ammirat. d. loc. cum reliquis ſuper. alleg.

[*b*] Gamurrin. d. Tom. I. pag. 122.

preſtantiſſimi Viri *Matthæi Palmerii*, ejus fronti impoſita: qua eadem occaſione ab ipſomet *Palmerio* ea perelegans Oratio habita, quam primus, è *Stroziana Bibliotheca*, protulit publicique Juris fecit Clariſs. Vir *Salvinius Salvini Florentinæ Metropolitanæ Canonicus*, & *Patriæ Academiæ Profeſſor Honorarius*. (*a*) Communibus pariter expenſis elaboratum marmoreum inſigne Monumentum, ſcalpro celeberrimi Juvenis *Deſiderii a Septiniano*, (*b*) quod in Florentina Eccleſiâ *S. Crucis* Minorum Conventualium, in Boreali Nave, propè Aram *Biſſulorum*; atque Januam *Bellacciorum*, *della Concezione* vulgò nuncupatam, non ſinè intuentium admiratione cernitur, hoc ſubter Epithaphio decoratum. (*c*)

Si-

[*a*] In Faſt. Conſular. in Elog. Laur. Marſupp. pag. 525.

[*b*] Georg. Vaſar. P. 2. in Vit. Deſider. = Raph. Borghin. in Lib. 3. vulg. *Del Ripoſo*.

[*c*] Sepulcr. Mſs. Cœnob. S. Cruc.

Siſte: vides, magnum, quæ ſervant
marmora, vatem,
Ingenio cujus non ſatis Orbis
erat.
Quæ Natura, Polus, quæ mos
ferat, omnia novit
Karolus ætatis gloria magna
ſuæ.
Auſoniæ & Grajæ crines nunc
ſolvite Muſæ,
Occidit heu veſtri fama decu-
ſque Chori.

Hęc de ſeniore *Carolo* è *Marſuppinis*, cui forſan, ex inclytâ Progenie, novum decus acceſſiſſe, poſterior ætas, & pediſequa hęc hiſtoria gratulabitur. Illud verò omnis prorſus dubita- VII. tionis expers, ut potè in Ephemeride Doctorum ex hoc almo Gymnaſio in qualibet Facultate prodeuntium, expreſsè literis conſignatum, Piſani Publici Profeſſoris perſonam ſuſtinuiſſe, & identidem ad Academicos gradus, alios promoviſſe *Joannem de Buti*; vel ut antiquitùs ſcribi etiam

Cruc. Flor. ſub. Num. XVIII. ⇌ Eug. Gamur. pag. 122. ⇌ Farull. pag. 325.

etiam conſuevit *de Buiti*, in Jure Civili, decurrente anno 1436. & ſeqq. (*a*) Quem obiter, ex ipſius Alumnis, commemorare in præſentiarum lubeat, *Michael Geminiani de S. Geminiano* eſt: (*b*) cujus ſolemnis inaugurationis Diploma, de quo alibi pertractavimus (*c*) in defectu aliorum, matrix haberi poſſet inconcuſſę illius Præſcriptionis *tercentum & ampliùs annorum*, qua Piſano Antiſtiti *Imperialis Cancellarii* dignitas, & qua Lyceo noſtro *Cæſareæ Univerſitatis* decus, nedum apud æquos ac benignos rerum ęſtimatores, ſed & apud ſeveriores Juris Adminiſtros, in Foro etiam, poſſet evinci. (*d*)

Quod ad maximam *Joannis* laudem pertinere videtur, illud potiſſimum eſt, Genitorem habuiſſe *M.* *Fran-*

[*a*] Archiv. Archiep. Lib. I. p. 181. 194. 195. 201. &c.
[*b*] Dict. Lib. I. p. 191.
[*c*] Diſſert. 3. de Nonnull. &c. p. IX.
[*d*] Vid. Jo: Franc. Balb., & Petr. Barbos. de Pręſcript.

Franciſcum, egregium illum *Dantis Aligerii* Commentatorem, de quo pariter ſuperiùs egimus; (*a*) at hereditariȩ glorię minime ſatur, ęmulus paternarum Virtutum, perſpicax ingenium ſuum ad diverſam utique Facultatem, ſed ingenti cum laude tranſtulit. Perſpectę ejuſdem peritię atque integritati tribuendum eſt, quod in Album Advocatorum œconomicę Rei S. Marię Piſanę Majoris Eccleſię, una cum prȩlaudato *Urbano de Ceulis*, fuerit adlectus annuoque ſtipendio conductus; (*b*) inter Curatores Operæ D. *Franciſci* primò deſignatus digerendiſque Ædilitiis Conſtitutis adhibitus; (*c*) eidemque Tutela cauſarum Patrię Urbis demandata fuerit. (*d*) a quâ ſubinde aliis Urbanis Muneribus, quoaduſque vixit,

[*a*] D. Diſſert. 3. p. XXV.

[*b*] Lib. Introit. & Exit. Oper. Primit. an. 1439.

[*c*] Capit. Antiqu. ſup. elig. Oper. Eccleſ. S. Franc. in Tabul. Com. an. 1431.

[*d*] Vol. 64. pręd. Com. p. prima, & 2. & quat. 2. p. 1., & 10.

xit, fuit honorificentiſſimè cohoneſtatus. (*a*)

VIII. *Bartholomæus Petri del Lante Nobilis Piſanus*. Jactis jampridem in Facultate Canonicâ, tam Piſis, quam Romę, ſolidę Doctrinæ fundamentis, & in hoc Publico Gymnaſio, ſub an. 1436. docuiſſe & Doctrinę inſignibus alios exornaſſe: quos inter *Franciſcum Brinium Canonicum Sveſſanum*, ex prędictis Academicis Actis, jejunè quidem, at indubitanter eruimus (*b*) neque minus perſpicuè de ejus excelsâ indole atque eximia eloquii vi, conſtare arbitror ex eo, quod è pluribus Piſanis Patritiis diſertiſſimis, ad ſupplicationem quamdam *Eugenio* IV. *Pont. Opt. Max.* oretenus exponendam, an. 1435. prælectus inveniatur. [*c*]

Ut plures hujus Nobiliſſimæ Familię, ſed non pręſentis ętatis, modò prętermittam, alium, ex ea-

(*a*) Ibid. Vol. 63. p. 99. &c.
(*b*) Archiv. Archiep. Lib. I. Doct. p. 181. 184. 192. 195.
[*c*] Volum. 65. Piſan. Commun. p. 77.

eadem ſtirpe, triginta circiter annos poſteà, in eadem Navi, ductui ingeniorum evigilaſſe comperio, atque hic omiſſum nolo, nempe ex *Luca de Lante Michaelem;* (*a*) qui ſub an. 1466. ac etiam pluries, pro Communi Patriâ Orator, & inter Reformatores Urbis adlectus, ſeſe non minùs de Publicâ Incolumitate ſollicitum verbis factiſque declaravit. (*b*)

IX. *Lapus Petri de Putignano* proxime Piſane Urbi, cui jampridem ejus Familia fuerat adſcripta, multifariam inſerviendo, opem ac decus, ut ceteri, de quibus ſuprà, ſuppeditabat. E *Lambardiâ Gente* fuiſſe colligo ex Publico Deliberationum Libro naviter exarato *Tempore*, ut Fronte legitur, *"Magnifici ac ſpectabilis Viri Vannis Pauli de Oricellariis pro Magnifico, & potenti Populo, & excelſo Communi Florentiæ honorabilis* Ca-

(*a*) Dict. Lib. prim. Doct. p. 43. 94. & 108.

(*b*) Lib. Partit. an. 1441. & ſeqq. p. IV. 17. 59.; & Lib. II. Deliberat. ab an. 1465. ad 70. p. 50. &c.

Capitanei Cuſtodiæ, *& Baliæ Civitatis Piſarum*, *nec non Piſani Poteſtatis*, in quo ſub an. 1460. certa merces *Lapo* ſolvenda decernitur, tanquam Piſanę Civitatis, Advocato: (*a*) quod honorificentiſſimum Conſultoris, & Advocati munus, etiam ante obierat, nempe ſub an. 1447. & 50. & denuo poſtmodum exercuit, ut ex ipſis publicis Monumentis eruitur. (*b*) Ad queſtuoſum, hoc alioquin honeſtiſſimum vivendi genus reſpectu habuiſſe videtur ejus ęqualis, eruditiſſimus plane vir, *Franciſcus Philelphus* lib. VI. Epiſtol. ubi *Lapum* ipſum alloquens eum *ad rem nummariam avidiuſculum factum fuiſſe*, ait: at hi, ut ex integro contextu epiſtolæ apparet, epiſtolares joci ſunt. Illud verò ea peritia & integritate, qua anteacto ſeculo, Gentilis ejus *ſer Jacobus* Notariatus Artem profeſſus

[*a*] Lib. I. Domin. Prior. ab an. 1460. ad 65. pag. 14.

[*b*] Ibid. Vol. 66. pag. 56. & Quat. 4. p. 10.

ſus fuerat, (*a*) *Noſter hic* profitens, primos Honores, ipſamque Prioris ſupremam Dignitatem virtute ſuâ cohoneſtavit. (*b*) Pluries Orator ad Florentinos Dominos, alioſque ſpectabiles Viros, non vulgaris Prudentiæ ſuæ ſpecimen exhibuit. (*c*)

In corrigendis, Auctoritate Publicâ, quibuſdam Patriæ Piſanæ Urbis Conſtitutis, una cum eximio pariter Viro *Joanne* olim *Lupardi de Vecchiano*, quantùm ſagacitate, & judicio valeret, luculenter etiam oſtendit. (*d*)

Quod ſpectat ad Piſanam Cathedram, eam plauſu moderabatur, ab an. 1441. uſque ad an. 1468. (*e*) quo circiter tempore, an Univerſitati tantùm; an verò etiam Orbi defecerit, adhuc ignora-

(*a*) Arch. Oper. Chart. 2227. an. 1367.

(*b*) Dict. Lib. I. Piſ. Commun. pag. 397.

(*c*) Lib. II. ab an. 1465. pag. 16. 96. d. Arch. Piſ. Com.

(*d*) Dict. Lib. I. pag. 86.

(*e*) Tabul. Archiep. Volum. prim. Doctor. pag. 108. & 194.

ratur; ſpectat enim *ad Gentem*; non ſpeciatim ad *hunc noſtrum*, quod in *Campo S.* hujus Urbis, obſervare datur ſepulcrum; atque etiam anno caret appoſita hæc Inſcriptio *S. Pierii q. Lapi de Putignanenſibus de Putignano & Heredum ſuorum.*

X. *Mag. Franciſcus Guillelmi della Barba de Piſis* in Medicâ Facultate Doctor, ejuſdemque in Almo Lyceo Profeſſor, & veluti Commilito cum prælaud. *Andrea Nicolai de Pergula* &c. pari ſtudio & induſtriâ, qua legendo, qua Literaria Inſignia ſuppeditando, Publico deſerviebat. (*a*) Praxim quoque Medicam exercuiſſe, ut plerique eâdem hac noſtrâ tempeſtate ſolent, ex eo colligitur quòd inter Stipendiarios Operæ Piſanæ Majoris Eccleſiæ reperitur. (*b*) In Catalogo Nobilium Fam. Piſanarum Mſs., & penes Clariſ. *Jo: Lamium*,

(*a*) Ephemerid. Doct. an. 1442., & 1462. Lib. I. Arch. pag. 196., & pag. 232.

(*b*) Lib. Introit. & Exit. an. 1439.

mium, (*a*) etiam hæc *della Barba* recenſetur; ſicut inter præcipuos Magiſtratus aſſediſſe, Acta publica an. 1444. manifeſtè teſtantur. (*b*) Dubius autem hæreo an ex hac profluxerint, vel huic origine prænituerint, Equeſtres aliæ, de quibus *Ludovicus Araldus*; (*c*) & potiſſimum Piſcienſis, ex qua prodiit *Simeon* Florentinæ Academiæ grande decus, & ornamentum; (*d*) nec non fulgentiſſimum Platonicæ Philoſophiæ cultiorisque Medicinæ lumen *Pompejus* Summi Pontificis *Pii* IV. de Univerſitate noſtra præclarè meriti, Archiater vigilantiſſimus. (*e*)

[*a*] In prim. Part. Hiſtor. Sicul. Laur. Boninc. pag. 252.

[*b*] Volum. 66. d. Arch. pub. & d. an. Quat. ult. pag. 22. a terg.

[*c*] Lib. Inſcript. Ital. Nobil.

[*d*] Notiz. Letter. & Iſtoric. dell' Accadem. Fior. P. I. pag. 202.

[*e*] P. Placid. Pucinell. Memor. Peſc. &c. pag. 350., & 401. = Don. Bibliot. Autor. Volgar. pag. 51.

XI. *Hugutio de Rolandinis de Peruſio*. In tradenda Sacrorum Canonum Scientiâ optimè de Athenæo noſtro meruiſſe, eâdem hac infeliciſſimâ tempeſtate, innoteſcit ex primâ Piſanorum Doctorum Ephemeride, ubi ſub anno 1443. in prædictâ Facultate ad Literaria Inſignia promovet *Fr. Oliverium de Strales Canonicum Regularem*, *imò Priorem jam ac Baccalaureum Monaſterii Omnium Sanctorum Andegavenſis Ordinis S. Auguſtini*. (*a*) Idem aliquando Vicariam Dignitatem obiit pro Piſano Archiepiſcopo *Juliano de Riccis Florentino*, Patrui ſui *Petri* Succeſſore meritiſſimo, ut ibidem relata ejuſdem Epiſtola comprobat, cujus initium tale eſt *Huguccio de Rolandinis Reverendiſſimi in Chriſto Patris Dom. Dom. Juliani Vicarius &c. Salutem in Domino &c.* (*b*)

XII. *Mag. Antonius de Silico* in Collegio Artiſtarum, qui Medicinæ docendæ faciendæque Lyceo in hoc noſtro, operam navá-

[*a*] Lib. I. p. 205.
[*b*] D. Lib. I. pag. 204.

vabant, illuſtrem locum tenuit, ut præ ceteris Acta Scholaſtica an. 1462. dilucide teſtantur. (*a*) Origine *Lucenſem* fuiſſe, ac primum in Bononienſi Gymnaſio Logicam Artem edocuiſſe *Jo: Paſqual*. *Alidoſius* memoriæ mandavit. (*b*) Inter Piſanos autem Cives receptum fuiſſe, & propè bona Monaſterii *S. Michaelis in Burgo Piſarum*, necnon Eccleſiæ *S. Andreæ Foris Porta*, atque Ædes, olim *Dominorum de Maſchianis*, & ipſum *Antonium* bona poſſediſſe, colligo præſertim ex inſtrumento Emphyteutico, quod in Archivo prædicti Monaſterii, inter contractus extraordinarios, aſſervatur ex Rog. *S. Simeonis Ser. Petri de Lupis*. (*c*) Utinam etiam ejus temporis emortuales libri extarent; aut extantes, obvio quodam in loco paterent! indè enim & hujus & plurium Profeſſorum obitum liceret

[*a*] Ibid. pag. 232.
[*b*] De' Dottor. Foreſt. di Teolog. Filoſof. pag. *6*.
[*c*] Lib. Sign. ✠ ſub Num. 44.

certò deſignare. Illud certum non exceſſiſse annum 1492, cum præd. anno, Piſanæ Urbis gubernio aſſidente *Rogeber. de Minerbettis*, conſtet ejus heredes adverſus Publicum Ærarium, condictione indebiti egiſse. (*a*)

XIII. *Franciſcus Nicolai de Ragonenſibus Nob. Piſan. Civis*, de quo paſſim Piſana Monumenta loquuntur, ad ſeriem hanc ipſam pertinet. Ad Florentinos Proceres non ſemel Orator deſtinatus, eo decentiſſimo munere egregiè functus apparet. (*b*) Advocati perſonam pro Natali ſolo ſuiſque Civibus, ex publico Decreto, nec induere detrectavit, nec oſcitanter geſſit. (*c*) Sorte quidem ſibi delatas Priorum Sellas occupavit; at ex unanimi Civium voto. (*d*) Ad publicas denique Univerſitatis functiones quod atti-

[*a*] Volum. IV. Archiv. Piſan. Commun. ab an. 1486. pag. 229.

[*b*] Volum. 66. Quat. 2. pag. 60. &c. = Lib. I. ab an. 1460. pag. 263. = Lib. II. 99.

[*c*] Dict. Lib. II. pag. 206.

[*d*] Ibid. ſub an. 1468.

tinet noſtrumque Inſtitutum, non tam legendo, quam litterarias Infulas in U. J. impertiendo, ſeſe utilem Publico prębuit ab anno 1464. uſque ad 1470., ut in patentibus literis, quas vulgò Doctoratus Privilegia appellant, *Spectabil. Viror. Petri Joannis Jacobi de Podio*, & *Andreæ q. Nicolai de Lombardo Meſſanenſis aliorumq.* hiſce gradibus tunc temporis inſignitorum, mihi nuperrimè videre datum. (*a*)

Joannes de Vecchiano Leopardi Filius, ex loco Piſani territorii hujus nominis, gradatim inter Lucenſes, ac poſtmodum inter Nobiles Piſanos Cives meritò receptus, auxit quoque numerum Publicorum Juris Profeſſorum circa annum Chriſti 1464. (*b*) Idem etiam antea & Advocati pro Piſana Communitate munus obierat, (*c*) & ſplendidâ ad Flo- XIV.

(*a*) Lib. I. Doctor. Archiep. Cur. pag. 86. 89. 101. 105. &c.
(*b*) Lib. I. Doctor. Arch. Archiep. pag. 84. 101. &c.
(*c*) Tabul. Piſ. Commun. Volum. 66. Quat. pag. 62.

rentinos Dominos legatione functus erat; (*a*) necnon honorificentiſſima deputatione ad excicipiendum ea, qua par erat dignitate, recens electum, & Alphæam Urbem ſolemniter introeuntem *Philippum de Medicis Piſanorum Archiepiſcopum*, prout Publica Monumenta anni 1461. perſpicuè teſtantur. (*b*)

Famulatui Menſæ (ut hoc quoque obiter addam) ab eodem munificentiſſimo Præſule, occaſione ineundæ ſuæ Poſſeſſionis, opiparè inſtructæ, plures Nobiles Viros *e Familiâ Chicculorum de Lanfranchis* adhibitos, & ex his *Laurentium Jacobi Chicculi de Lanfranchis* a Poculis adhibitum, & Argentea Patera deaurata, *pro ſe ſuiſque* recipientem, munificè donatum abiiſſe, ex publico Inſtrumento edocemur. (*c*) Archiepiſcopalis hæc munificentia, quæ a ſuc-

(*a*) Lib. I. D. Arch. Com. ab an. 1461. pag. 211. &c.

(*b*) Ibid. pag. 104. terg.

(*c*) Contract. ap. Equit. Gaſpar. Romuald. de Chiccul. Lanfran-

a ſucceſſore Archiepiſcopo *Franciſco de Salviatis de Riario*, in alio pariter inſtrumento, *Vetus* appellatur de anno 1477., ſenſim in conſuetudinem verſa, recurrenti quovis Convivio, a Piſanis Archiepiſcopis, in prædictis circumſtantiis, inſtrui ſolito, in eadem *Chicculorum Lanfranchia Gente*, uſque ad hæc noſtra tempora, cum eodem Honorifico Jure, perſeverat & viget: cum hoc ſolum diſcrimine, quod Seniori tantum ex prædicta Familia *Nobilium de Lanfranchis Chicculis* dono dari cæpit, & ejus lucro cedere. (*a*)

Redeundo autem ad rem noſtram, non omittendum hic in Mſſ. quodam Papyraceo, apud Eruditiſs. *Salvinium de Salvinis* Canonic. Florentin. Antiquarum Rerum Indagatorem, Conſervatorem Editoremque celeberrimum, extare hujuſce noſtri Profeſſoris

---

franch. ex Protoc. Ser. Petri Roncioni Piſani in Arch. Flor. exiſt. pag. 71. terg. ad an. 1461.

(*a*) Volum. Extraord. Act. Archiep. Cur. ſub An. 1575. ex Rog. *Joan. Guarner.* Num. 12.

Latinam Orationem, cui Titulus *Præclariſſimi Viri Joannis Leopardi de Vecchiano de Piſis Civis Lucenſis ac eximiis utroque Jure Doctoris in ſolemni Joannis Petri Poetæ clariſſimique Oratoris Laureationem feliciter incipit*. Prælaudata Oratio, occaſione ſolemnis Funeris, ac Laudationis a Lucenſi Urbe eidem *Jo: Petro*, die tertia Octobr. an. 1457. defuncto, decreta, (*a*) habita fuit in eadem Lucenſi Urbe; & deinde, cum aliis pluribus hujus ſeculi eruditis Elucubrationibus, tranſcripta manu *Georgii Antonii Veſpucci*, primum Canonici Florentini, poſtmodum, impulſu *Frat. Hieronymi Savonarolæ*, in poſtremâ ſenectute, unius ex Religioſis Viris Dominicanæ Familiæ in Florentino Cœnobio D. Marci; & ex numero Agnatorum inſignis illius *Americi*, qui detectæ Orbis Parti nomen dedit auſpicatiſſimum. Minimè autem dubito *Jo: Pe-*

(*a*) Not. Mſs. in Fin. d. Orat.; & Epiſt. Mag. *Bartolom. Breſſiani ad Illuſtr. Venet. Cancellar. Jo: Dedum* ibid. pag. XI.

Petrum hunc Lucenſem, a *Vecchiano noſtro*, eximio ejus Diſcipulo, publicè laudatum, eumdem eſſe, de quo cum laude loquitur *Paulus Corteſius*. (*a*) An verò ſit idem cum *Petro Nuceto Lucenſi*, *Elogio Franciſci Robortelli* conſpicuo, hæſitat in ſuis eruditis Adnotationibus, in calce prælaudati Dialogi appoſitis *Dominicus Maria Mannius*. Qua ſuper re, & ipſe magis anceps hæreo, non quod oculatiſſimus Philologus *Robortellus* eumdem *Petrum Nucetum fermè æqualem Politiani* fuiſſe ſcripſerit; hoc ſiquidem non implicaret, cum *Politianus* ortum duxerit quinquennio circiter ante, quam prædict. *Jo: Petrus* obierit; (*b*) ſed quod uno eodemque tempore, quo *Politianus Florentiæ* florebat, *Nucetus Lucæ* Græcas, & Latinas literas publicè interpretare-

(*a*) In Dialog. de Homin. Doct. pag. 29.

(*b*) Nicer. in Mem. Hom. Illuſtr. = Pope Blo. in Cenſur. Auctor. = Paul. Jov. in Elog. = Paul. Freher. in Theat. Tom. 2.

tur: (*a*) repugnat enim adhuc infantem, eruditione florentem dici; & cum jam adulto, in ornanda ea, quam nacti fuerant, Sparta, quodammodò conferri. *Nucetus* inſuper, teſtimonio ipſius *Robortelli*, onus interpretandi ſuſcepit *non ullâ mercede ductus*; fuit enim ditiſſimus, & nobiliſſimus, *ſed gloriæ potiùs cupiditate, atque ſuis ut prodeſſet Civibus* (*b*). *Joannes* autem *Petrus*, de quo nobis nunc ſermo, & de quo veriſimiliter *Corteſius*, ut ex præcitatâ Oratione conjunctiſque Opuſculis colligo, & Adnotatis amicè ſuperaddo, Venetiis etiam meritoriam Doctrinam exercuit.

Circa Familiam autem *de Vecchiano*, neque reticendum hic, eumdem Rever. Præſulem *Philippum de Medicis* ex ea de ſe, necnon de Publico benemerenti, *Marianum Bonaccurſi Filium* Decretorum Doctorem, Archipresbiterum Profeſſoremque inſignem Ca-

(*a*) Id. Robert. Lib. 2. Annotat. in Catull. Cap. V.

(*b*) Ibid. Edit. Florent. Torrent. pag. 232. in Fin. Capit.

Canonicæ Facultatis, ad ſublimem Vicarii ſui Generalis in Spiritualibus & Temporalibus Dignitatem evexiſſe; (*a*) qua functum quoque, ſub *Franciſco de Salviatis*, ex ſecundâ Doctor. Ephemeride innoteſcit. (*b*)

Innocentius etiam VIII. *Sum. Pont.* magni feciſſe videtur peritiam integritatemque *ſenioris Bartholomæi Piſani Canonici*, *Joannis Filii*, quandoquidem ipſi, atque Abbati S. Michaelis in Burgo Piſarum, *Simeoni* videlicet *de Martiis de Biblena*, Reviſionem Sententiæ inter *Thomam Nicolai Philippi Piſanum*, *&* *Rever. PP. Servorum B. M. V.*, vulgò in hac Urbe *di S. Antonio in Spaſſavento*, ab Archiepiſcopali Vicario pronunciatæ, honorificè commiſit an. 1491. (*c*) Ex quo planè magis magiſque conſtat, vel ab his temporibus, in quovis

(*a*) Lib. I. Doctor. pag. 48. 52. 60. = Rot. Univ. ab an. 1475. ad 1484.

(*b*) Lib. 2. pag. 2.

(*c*) Archiv. PP. Camaldulenſ. ſub præd. ann. 1491.

cum ſeculari, tum Eccleſiaſtico Ordine, Nobilem hanc Familiam nobiliorem in dies evaſiſſe; ac prçluxiſſe ceteris, qui poſtea Togam ornarunt.

XV. *Samminiatus Nicolai de Riccis*, & *Margaritæ Davanzatæ Filius*, Patritius Florentinus (*a*) Decretorum Doctor, Piſanæ Primitialis Eccleſiæ Canonicus; expectativâ etiam Patriæ ſuæ Canonicus Metropolitanus (*b*). Publici Profeſſoris munere fungendo, non tam alios ad inſignem Doctoratus apicem promovit, veluti *Joannem Roberti de Limata Neapolitanum an.* 1465., (*c*) quam etiam ipſius Piſani Antiſtitis *Philippi de Medicis* extraordinarias Vices meruit pluries in ſolemnibus Doctorum Conventibus atque Comitiis obire (*d*) Na-

(*a*) Scip. Ammir. in Arbor. Illuſtr. Fam. Florent. pag. 153.

(*b*) Lib. I. Doctor. Archiep. Cur. pag. 168. = Chart. Procur. inter Rog. ſer dominic. de Fighin. in Arch. Gener. Flor.

(*c*) Ibid. pag. 91.

(*d*) Dict. Lib. I. pag. 84. & 108.

Natus an. 1423. paucis annum Seculi ſeptuageſimum vivendo ſuper exceſſit. (*a*)

In eadem Piſana Academia, initio anteacti ſeculi, ex hac nobiliſſima ſtirpe ſtipendia Juris Civilis meritus eſt etiam *Petrus Franciſcus Senatoris Vincentii Filius*, (*b*) hinc poſtmodùm ad majora provectus, (*c*) ut alibi opportunius annotabitur; eique lucem illam attulit, quam plures ſubinde Alumni; & nunc junior *Petrus Franciſcus Senator Ampliſſimus*, ſummâ prudentiâ atque integritate *Præſidendo*, impertitur.

Gabriel Petri de Maſchianis, XVI.
Familia olim Piſis; (*d*) nunc verò Piſis, & Panormi clara ac locuplete. Eximium hunc Virum, nedum inter Promotores invenio, in ſolemni inauguratione *Joan-*

(*a*) Ex Lib. Gabel. decimar. Extraction.

(*b*) Rotul. Univ. ann. 1604.

(*c*) Ser. Senat. Florentin. pag. 83., & in Append. p. 118.

(*d*) Volum. 64. Archiv. Piſ. Com. pag. 38. & Quat. ult. pag. 7.

Joannis Allegret, Legum Doctoris jam Valentię renunciati, & in hac noſtra Univerſitate denuo in Facultate Canonica examen ſubeuntis, die 26. Apr. an. 1466.; (*a*) ſed in ſequentibus annis, pro ſua ſingulari prudentiâ, dexteritate, eloquentiâ Officiis Urbis explendis, tractandiſque negotiis adhibitum reperio, (*b*) ut cetera, quæ Viris alioquin nobilibus obtingunt ſorte, prætereeam; veluti inter Priores, Præpoſitura eſt, quæ nec illi defuit, ut excurrentibus publica monumenta obviam fit. (*c*)

Huic Agnationis & Virtutis fœdere junctus, in hoc publico docendi munere ſeſe exercuit an. 1481. *Aloyſius Chriſtophori filius*, at in Logicâ Facultate; (*d*) immò & *Benedictus*, & *Joan-*

(*a*) Lib. I. Doctor. Arch. Cur. pag. 94.

(*b*) Dict. Arch. Com. Lib. 2. ab ann. 1465. pag. 96. = Lib. C. pag. 121.

(*c*) Ibid. pag. 202.

(*d*) Rotul. Arch. Reform. Florent. ſub. præd. an. 1481.

Joannes; at XVI. Seculo decurrente; (*a*) de quibus propterea, ſimulque de duobus *Maſchianis* Panormitis Alumnis, ſuo loco.

Andreas Laurentii de Gambacurtis Patritius Piſanus, circa eadem tempora, Univerſitati noſtræ operam impendebat non inutilem; atque inter ceteros, *Franciſcum Hieronymi de Meis Plumbinatem*, in Jure Civili, promovit anno 1468.; (*b*) *Petrum de Ribes Aragonenſem* in Jure Pontificio, an. 1470.. (*c*) Niſi hunc noſtrum reducem aliquem opinemur ex Piſanâ Nobili Familiâ, imò quæ Piſis Dominatum olim habuit, quæque, poſt inſignem *Gerardi* ingratitudinem in permutando cum Aragonenſibus Territorium illud, quod a Florentina Republica, pro deditione Piſarum, ipſius Pater dono accepe- XVII.

pe-

(*a*) Catal. Lect. an. 1543. in Arch. Dom. Conſiliar. Florent. Urb.

(*b*) Lib. I. Doctor. Archiep. Tabular. pag. 105.

(*c*) D. Lib. I. pag. 42.

perat, (*a*) detecto tam enormi facinore, Neapolim, & Siciliam commigravit, conjicere nobis licet *eundem Andream* hæc & alia præſtitiſſe fermè octogenarium; *Laurentius* ſiquidem *Petri Filius* (ſi tamen Uxoratus, de quo nec etiam conſtat) eodem, quo infelix Genitor anno, nempe Piſ. 1393., *Jacobi Appiani*, ingratiſſimi pariter hominis juſſu, occubuit. (*b*)

XVIII. *Michael de Graſſulinis Canonicus Piſanus*, ut illum Eccleſiaſticorum, ita cœtum hunc noſtrum Doctrinâ, ac Moribus ornavit. (*c*) Quare dignus ha-

[*a*] Dominicus Boninſegn. Hiſtor. Flor. ſub an. 1453. pag. 105. = Jacob. Wilhelm. in Exeg. 20. Familiar. Illuſtr. Ital. = Silvan. Raz. in Vit. Coſm. ſenior. pag. 171.

[*b*] Scip. Ammirat. ſub an. 1392. Lib. 16., & ſub eod. Paul. Tronc. = Matth. Griff. ap. Clar. Murat. T. 18. Rer. Ital. = In Mem. Hiſtoric. = Pogg. Lib. 3. Hiſt. Flor. d. an.

[*c*] D. Lib. Doctor. Pub. Archiv. pag. 42. an. 1470.

habitus eſt, ut ſpeciatim a Præſide ſuo, ad ſupplendas ejus vices eligeretur. (*a*) Fœcunda, etiam antiquioribus, temporibus, inſignium Juriſperitorum aliorumque præſtantium Virorum Piſanæ hæc Familia fuit; e quibus omiſſos interim nolo *Joannem I. D.* Æconomicâ Legatione ad Florentinos, ſub anno 1398., & eo magniloquo reſponſo notiſſimum *Florentinos amicitias non pretio, ſed fide mercari ſolitos;* (*b*) *Thomam Caroli* inſignem pariter ejuſdem ſeculi Juriſc.; (*c*) *Ciolum* illuſtrem Militiarum Ducem pro tutanda Sardinia adversùs Aragoniæ Regem, (*d*) cujus Sepulcrum extat in Clauſtro D. Franciſci Num. 233., *Bartholomæum* atque *Gerardum* in rebus cum publicis, tum privatis adminiſtrandis, illiba-

[*a*] Ibid. pag. 63.

[*b*] Leonard. Aretin. Italic. Verſ. ab Acciajol. Lib. XI.

[*c*] Archiv. Oper. Prim. Eccleſ. Chart. 423. an. 1344.

[*d*] Mſs. Equit. Fran. Pauſe ex d. Archiv. Chart. 284. 423. &c.

batæ Fidei ac ſummæ dexteritatis, (*a*) quorum Sepulcralis Lapis in præd. Clauſtro, propè Capitulum Num. 129. hæc legenda Viatoribus exhibet *S. Honorabilis Viri Gerardi quondam Bartolomei Graſſulini & Heredum ſuorum A. D.* MCCCLXXXXVIII., illud unum addens, quod eadem Illuſtris Proſapia, Panormum trãslata, ibi quoque radios avitæ gloriæ ſuæ diffundit. (*b*)

XIX. *Chriſtophorus Jo: Antonii de Maſis, Ordinis Prædicatorum.* Ortum ipſius ſibi Florentia vendicat, quamvis alicubi Notariorum incuriâ, Viterbio tributus fuerit. (*c*) Romæ Theologorum Lauro meritò inſignitus, & Florentinorum prædictæ Facultatis Collegio adſcriptus, (*d*) per diver-

(*a*) Monum. Pub. in Arch. Comm. dd. an. pag. 96. 122. 126. 176.

(*b*) Libel. Sup. Piſ. Nat. exhibit. ac typ. edit. a Philip. Coccolin. I. U. D. an. 1733.

(*c*) Lib. I. Doctor. Archiep. Cur. pag. 58.

(*d*) Luc. Joſ. Cerrach. in Faſt. Theolog. ſub. an. 1460. pag. 158.

verſas alias Urbes, qua concionando, qua docendo eximiam Doctrinam circumtulit. Ætate provectus, etiam *in Publica Piſana Academia* profeſſus eſt; imò Decanatum obtinuit. (*a*) Non deſunt egregii Alumni, quos Jure optimo potuit oſtentare: quos inter *Fr. Franciſcus Bartholomæus de Ramonibus de Faventia* Rector Provincialis Eccleſiæ Sancti Antonii Faventinæ ipſius Urbis; necnon ejuſdem Dominicanæ Familiæ non infimum decus, in Theologicâ potiſſimùm Facultate præcellens, *Simeon de Papia*; de quo inferiùs. (*b*)

Ex eadem Scholâ prodiit Theologalibus Infulis decoratus, ſicut, in eodem Religioſorum hominum albo nomen profeſſus olim fuerat, *Thomas* quoque *de Capitaneis de Bergomo*, in Sacra Pagina Vir erudititiſſimus: Legatione ad *Xyſtum* IV. *R. P.* pro Rege Galliarum, habitaque apud eum Oratione percelebris: (*c*) quem cum

(*a*) D. Lib. I. Doctor. pag. 57.
(*b*) Lib. I. Doctor. pag. *66.*
(*c*) PP. Quetif. & Echard. Tom.

cum antea Piſis ad Doctoratus apicem promoviſſet, nimirum anno 1470., (*a*) non multò poſt ſibi Collegam ſucceſſoremque in eodem noſtro Gymnaſio, non ſine ſumma animi voluptate, adſpexit. (*b*) Obiit autem *Chriſtophorus*, gloria adhuc ſuperſtes, in Cœnobio S. Catharinæ hujus Urbis ann. 1479. (*c*)

XX. *Mag. Michael Cardi*, in Piſana Civitate honeſto loco natus. Tranſtulit in Patrium Atheneum uberem illam Sacrę Doctrinæ ſupellectilem, qua ſibi gradatim Florentię promeruerat, ſub Decanatu Glorioſ. Mem. Viri *Mariani Salvini*, poſtea Cortonenſis Epiſcopi, (*d*) Theologorum Docto-

---

Tom. I. Script. Ord. Prędic. pag. 865.

(*a*) D. Lib. I. pag. 57.

(*b*) Lib. II. prędd. Doctor. Archiep. Tabular. pag. 18.

(*c*) Nęcrol. S. M. Novel. de Flor. Tom. I.

(*d*) Ferd. Ughell. Ital. Sacr. Tom. I. ⇄ Jo. Lam. in Pręf. Dial. Paul. Attavant. pag. 9. de Orig. Serv. B. Mar. ⇄ Luc. Cerach. F. T. 149.

ctorum ſeriem augere, die VI. Decembris an. 1463. (*a*). Dico gradatim; jactis enim, intra ſepta Dominicanę Familiæ, cui admodùm juvenis nomen dederat, opportunarum ſcientiarum, & maximè Theologalium fundamentis, in Florentinum illum inſignem cœtum, tamquam Baccalaureus, adſcitus, per integrum Quinquennium, ab anno videlicet 1458. uſque ad prædictum ſolemnis inaugurationis diem, Biblicæ Doctrinę enucleandę, Magiſtroque Sententiarum illuſtrando, per utilem operam navavit. (*b*) Poſt hęc, in eadem Facultate, Publica Piſis ſtipendia meritus eſt; & ſub anno 1471. adhuc publico bono deſervientem intueri datur. (*c*)

Mag. Simon de Papia obiter XXI. ſupra laudatus, *Ordinis S. Dominici*, quem ex illuſtribus ſatum parentibus Feudoque conſpicuis, uti-

(*a*) D. Luc. Jos Cerach. in pręd. Faſt. Theol. pag. 155. & 164.

(*b*) Act. Theologal. ab an. 1458.

(*c*) D. Lib. I. Doctor. Archiep. Archiv. pag. 58. terg. = Monum. Eccl. Piſ. S. Paul. ad Hort.

utilem natali ſolo protulerat *Ticinum*

Regia Barbaricæ Gentis, nunc Palladis Ædes,

utiliorem Reipublicæ Litterariæ, & potiſſimùm Eccleſiaſticę, reddiderant Florentina, Bononienſis, ac deinde Piſana Civitas: in quarum poſtremâ Theologcrum Lauro ſolemniter inſignitus (*a*) cœpit in commune Bonum, Publicâ ſtipe conductus, ea Doctrinarum ſemina ſerere, quæ inibi abundè collegerat, alioſque ad Scholaſticos illos gradus promovere, quibus dudum ipſe fuerat ornatus. Contigerunt hęc circa annum 1470. quo vertente, ſub die 25. Januar., *Fr. Cherubinum de Fabriano*, & ipſum Dominicanę Familię illuſtrem Alumnum, ad Doctoratus apicem meritò promovit. (*b*)

XXII. *Julianus Philippi* Florentinus, ex Ordine Carmelitarum. Poſt recepta in Florentina Theologorum Univerſitate, ſub anno 1461. Do-

(*a*) D. Ephemer. ſub die 6. Novembr. ibid.

(*b*) D. Lib. I. ſub an. 1471. die 25. Januar. pag. 66.

Doctorum Hominum Inſignia, (*a*) publicoque bono illuſtrem navatam operam, tranſtulit *in Piſanam Academiam*, non vulgarem, qua pręſtitit, eruditionem: ibique decurrente an. 1470. (quo potiſſimùm tempore *M. Baſilius Mag. Gabrielis de Piſis Ordinis S. Auguſtini*; (*b*) *Mag. Octavianus de Vulterris*, & *M. Sylveſter de Balneo*, *ex Eremiticâ* pariter *Familiâ*; (*c*) *Paulus Antonius Corſellinius Carmelita* (*d*) Theologicas res, publicè & ipſi profitebantur) alios ex communi eorum Inſtituto pręclaros Alumnos, *Fr.* ſcilicet *Marcum de Silvanis*; *Ioannem Laurentii de Manſis*, *ambos Florentinos*; *Fr. Matthæum Grani Piſaurienſem*, Theologali Laureâ decoravit. (*e*) Non deſti-

tit

[*a*] Conſtit. Sacr. Florent. Univ. Rec. ſub Raph. Bad. pag. 112. —

[*b*] Lib. I. Doctor. Archiv. Archiep. pag. 46. & Lib. II. pag. 14. & 69.

[*c*] Ibid. pag. 46. & 50. dict. Lib. I.

[*d*] Pag. 45. Lib. I.

[*e*] D. Ephemer. I. pag. 45. nuper. alleg.

tit interim *Julianus noſter* ſerendo Dei Verbo utiliter incumbere, atque Etruſcam Provinciam, cui diutiſſimè præfuit, & maximè Cœnobiticam Patriæ ſuæ rem, adeò naviter adminiſtrare ac promovere, ut ingens illud ædificium Fratrum habitationi deſtinatum, ferè a fundamentis, excitaſſe perhibeatur: quicquid ſit de Eccleſia, quæ, Florentino Epiſcopatui præſidente *Joanne de Mangiadoribus Miniatenſi*, an. 1268. cœpit ędificari per ea, quę tutiùs ex *Luca Joſepho Cerracchinio* atque *Bollandiſtis Clariſ. Jo: Lamius* adnotavit. (*a*) Bibliothecam quoque, ut alienis operibus, ita inſigni ſuo Mſs. *Super Cantic. Canticor.* ditiorem reddidit; majora in dies operaturus, niſi ſenium, & inimica pręclarè cœptis mors obſtitiſſet. (*b*)

(*a*) Parte prima Hedœporic. pag. 180.

(*b*) An. 1481. ex Luc. Joſ. Cerrach. præall. Loc., & Jul. Negr. de Script. Florent. pag. 306.

99 964-92